



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

2 Quænam sit propria contrariorum definitio, eorumq[ue] ab aliis oppositis
discrimen.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

munem oppositionis rationem. Nam Simplicius, Boetius, & alii, in Postprædicament. ita sentiunt: alii vero analogiam constituunt, ut Albertus ibi, & Dion⁹ Thomas opusc. 48. tract. de interpretatione capite 8. Res tamen est parui momenti, & ideo omitto rationes, quæ in utramque partem facile excogitari possunt. Formaliter tamen rationem oppositionis considerando, non videtur dubium, quin ratio oppositionis per se primo conveniat contradictioni: seu negationi oppositioni. Unde contraria, & relatiua in tantum sunt opposita, in quantum vnum includit aliquo modo negationem alterius, & ita videtur intercedere analogia secundum quandam attributionem. Nec refert quod contrarie & relatiue opposita maiorem realitatem habeant à parte rei: quia formalis ratio oppositionis non tam attenditur ex entitate, quam ex negatione quam addit oppositio ut licet. Et huic sententiæ fauer Aristoteles 10. Metaphysic. cap. 7. dicens: Contradictionem oppositionem esse omnium maximam. At vero comparando contradictionem ad priuatiam oppositionem non est inter ea propria analogia, quia neque est formalis diuersitas in ratione oppositionis, ut diximus. Dicitur tamen negatio pura maiorem oppositionem constituere, quā priuatio, quasi extensius, quia negatio dicit absolute illam oppositionem respectu cuiuscunque: priuatio vero respectu determinati subiecti. Et ideo Aristot. 10. Metaphysic. cap. 7. dixit priuationem esse quandam contradictionem. Comparando autem contraria & relatiua inter se, illa videntur opposita simpliciter: hæc secundum quid: quia illa absolute opponuntur, hæc tantum respectu eiusdem. Unde illa etiam inter se pugnant, & quantum ex se est, sese expellunt formaliter vel effectiue: illa vero licet distinctionem requirant, non tamen proprie pugnant, sed potius vnum requirit existentiam alterius, ut notauit D. Thomas dicta quæstione septima de potentia, articulo 8. ad quartum, dicuntur etiam ad conuerentiam, quod proprium illorum est inter omnia opposita, ut notauit Aristoteles in Postprædic. cap. de oppositis.

XII.
Obiectioni
satis fit.

Dicit tandem aliquis, Vnum contrarium magis distat ab illo quam sola negatio: magis enim distat album à nigro, quam non album: ergo est inter illa maior oppositio. Unde contrarietas infert contradictionem, non vero è contra. Respondetur, illud in tantum esse verum, in quantum cum vno contrario coniuncta est negatio alterius: unde comparatio fit inter duas oppositiones simul sumptas cum altera tantum: & ideo mirum non est, quod illa appareat maior seu potius multiplex. At vero præcise, ac formaliter falsum est assumptum. Nam negatio immediate, per se, ac formaliter destruit rem totam, & cum illa nullam habet convenientiam, sed distant tãquam ens & non ens: & ideo adæquate diuidunt ens, neque inter ea medium inueniri potest. Nō est autem ita in formis contrariis, quia vnaquæque immediate ponit aliquid in subiecto: in quo conuenit cum sua contraria: & deinde causaliter & quasi mediate expellit illam: & ideo simpliciter est maior prior repugnantia. Cuius etiam signum esse potest, quia illa, quæ contradictorie opponuntur, non possunt simul coniungi in eodem, etiam de potentia Dei absoluta: contraria vero possunt, ut inferius dicemus.

SECTIO II.

Quæ sit propria contrariorum definitio, & ab aliis oppositis differentia.

1.



Voniam ea, quæ de aliis tribus generibus oppositionum hic desiderari poterant, inferius commodiora habent loca, ut diximus, hic solum cætera, quæ ad contrarietatem spectant pertractā-

da sunt. Quod optime etiam in hunc locum cadit, quia contrarietas, quæ inter proprietates qualitatis numeratur, cum omni proprietate & rigore intelligenda est.

Contrariorum definitio.

Hanc ergo contrarietatem seu contraria ipsa sic definit Aristoteles 10. Metaphysic. cap. 6. *Contraria sunt, quæ sub eodem genere maxime distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt.* In qua definitione illa particula *Quæ* locum habet generis: & sub ea intelligere possumus qualitates, vel aliquid simile, si contraria ipsa referat. Ponitur tamen sub ea confusa & transcendentali ratione: quia fortasse extra qualitatem potest esse aliqua vera contrarietas, quod postea disputabimus: nam definitio, quantum fieri possit abstrahere debet ab incertis & dubiis. Quod si definitio de contrarietate ipsa quasi in abstracto detur genus sub illa particula contentum erit oppositio seu distantia eorum, quæ sub eodem genere maxime distant &c. Sicque illam videtur explicasse Aristoteles citato loco. Reliquæ tres particule loco differentie ponuntur, quæ ligillatim, breuiterque explicandæ sunt.

An omnia contraria sub eodem genere continentur.

Primum enim dubitari potest, cur Aristoteles definite dicat contraria debere contineri sub eodem genere, cum in cap. de Opposit. in dialectica sub distinctione asserat, debere esse aut contenta sub eodem genere, aut genera diuersa. Et exemplum ponit in bono & malo, quæ contraria sunt, & tamen sub eodem genere non continentur, sed sunt quasi diuersa genera rerum: & sub illis generibus assignari possunt virtus, aut vitium, error, & scientia, quæ contraria sunt, & sub eodem genere non continentur. Item vel illa particula intelligitur de eodem genere proximo: & sic falsum manifeste continet, ut exempla adducta ostendunt: vel de remoto: & tunc eadem ratione poterunt contraria esse genera diuersa: quia non est maior ratio cur debeant conuenire in vno genere remoto, quam in alio. Maxime quia inter res diuersorum prædicamentorum videtur intercedere contrarietas, quia calefactio, v.g. non solum est contraria frigefactioni, sed etiam frigori, à quo distat prædicamentali genere. Et similiter calor ut octo videtur contrarius formæ substantiali aquæ, quam proinde expellit.

Nihilominus dicendum est, illam particulam optime assignatam esse, per quam videntur contraria primo differre à priuatiue, vel contradictorie oppositis: nam hæc sunt primo diuersa, eo quod alterum extremum negatiuum sit: quod cum altero positiuo non potest habere realem convenientiam; ideoque non possunt sub eodem genere contineri. Ab oppositis autem relatiue aliquo etiam modo differunt contraria per hanc particulam, licet non omnino: nam si relatio dicatur relatiue opponi termino ut sic procedet illa differentia etiam respectu illius oppositionis, quia non oportet ut relatio & terminus sint sub eodem genere, imo frequentius sunt sub diuersis quia terminus quid absolutum est, ut inferius ostendemus. Si vero consideremus oppositionem, inter relationes vtriusque extremi, sic interdum possunt plus quam genere differre, quia vna potest esse relatio rei, alia rationis. Aliquando vero possunt non solum sub eodem genere, sed etiam sub eadem specie contineri, ut relationes similitudinis, & alia, quæ æquiparantiæ dicuntur. Et in hoc etiam discrimen habent à contrariis: quia vera contraria nunquam possunt esse eiusdem speciei: quod etiam per illam

illam particulam insinuat. Nonnunquam vero possunt relationes oppositæ sub eodem genere contineri, vt paternitas & filio: & illæ non excluduntur per hanc particulam, sed per subsequentem.

V. Ratio vero huius partis sic sumitur ab Aristotele ex subsequentibus: nam inter contraria est quidam ordo per se in ordine ad transmutationem: nam ex natura rei fit transitus ab vno ad aliud, & e conuerso hæc autem vicissitudo transmutationis, per se non reperitur inter ea, quæ genere differunt: nam ex loco vt sic non fit transitus ad qualitatem, per se loquendo, sed ad locum & e conuerso: ergo contraria debent esse generis eiusdem. Et eadem ratione non possunt esse eiusdem speciei, quia alioqui non ita inter se pugnant. Item contraria uersari debent circa idem subiectum: vnde ex parte subiecti eadem est capacitas ad recipiendam contraria, non coniunctim, sed diuini: ergo oportet vt contraria habeant inter se conuenientiam saltem genericam, ratione cuius idem subiectum esse possit capax vtriusque. Vnde hoc loco considerare possumus, genus interdum sumi logice, interdum physice pro materia. Quamquam ergo definitio proprie videatur intelligi de genere logico, vt indicat illa particula *sub eodem*: nos tamen addere possumus contraria esse debere eiusdem generis physici, quia si in concreto sumantur, ex eadem materia constare debent, si vero in abstracto, in eadem materia debent recipi seu uersari. Imo vterius addo, cum duplex sit materia, ex qua, & circa quam, seu subiectiua, & obiectiua: quando contraria vtramque habent, non enim omnia obiectiua materiam requirunt, sed solum illa, quæ ad aliquod obiectum transcendentem dicuntur habitudinem: tunc in vtraque debere conuenire: vt hoc etiam modo dici possint esse eiusdem generis physici in vtraque materia, quia alioqui non habebunt formales effectus & inclinationes repugnantes, nisi circa idem aliquo modo versentur. Quæ omnia facile possunt inductione ostendi, tam in qualitatibus physicis omnino absolutis, vt albedine & nigredine, calore & frigore, quæ habitibus, vel actibus mentis.

VI. Quod ergo Aristoteles dixit in capite de Oppositis, contraria interdum esse genere diuersa, varie exponitur. Quidam putant Aristotelem non fuisse locutum ex propria sententia, sed iuxta Pythagoreorum opinionem, qui ponebant duo principia primo diuersa, bonum & malum, & sub illis duos ordines rerum inter se prorsus diuersos & contrarios, vt idem Aristoteles refert i. Metaphys. ca. 5. Quam expositio nem probare videtur D. Tho. 3. con. Gent. c. 9. & fuit lamblici, & Simplicii, vt refert ibi Ferrariensis. Et eam etiam sequitur Caietanus in prædicamen. Alii vero exponunt, bonum & malum dici genera contraria, non proprie & in rigore sumpto nomine generis, sed quia sunt conditiones generales omnium contrariorum quia semper vnum habet rationem mali respectu alterius, vel secundum se, quia semper vnum se habet vt priuatio & defectus comparatione alterius vt supra dictum est, vel respectu subiecti, cui alterum contrariorum disconueniens est. Ita fere Theophrastus & Ammonius in prædicamen. Iuxta quam interpretationem dicendum est contraria secundum suas entitates contineri sub eodem genere, sub ratione autem boni & mali quodammodo esse quasi genera diuersa, vel sub generibus diuersis. Melius tamen dici videtur, Aristotelem locutum esse de bono & malo morali, vt etiam exposuit D. Tho. citato loco, & magis probauit in i. part. qu. 45. art. 1. ad tertium: Philosophus ipse declarauit, adhibitis exemplis virtutis & vitii. Est autem in moralibus contrarietas non formaliter ratione malitiæ, quia malitia in priuatione consistit, vt supra disputatione II. declarauimus: sed ratione ipsius actus vel habitus, qui est quasi subiectum malitiæ; & ita etiam hæc contraria sunt eiusdem generis, non solum in ratione qualitatis, sed etiam in

Tom. II. Metaphys.

ratione habitus vel actus. Dicuntur tamen peculiariter opponi in ratione boni & mali, quæ sunt veluti genera diuersa, quia tantum secundum eam rationem habent maximam distantiam, vt in sequenti puncto declarabimus.

Ad confirmationem respondetur, non oportere vt contraria conueniant in proximo genere prædicamentali, vt recte ostensum est. Necesse est autem in primis, vt conueniant in prædicamento, si immediate ac directe contraria sint: actio enim non est immediate contraria nisi actioni: termino autem contrariæ actionis non per se & directe opponitur, sed mediante suo termino. Et similiter, dispositio non est propriæ contrariæ formæ substantiali, sed contrariæ dispositioni, & ita non formaliter, sed dispositiue expellit substantialem formam: Rursus non solum continentur contraria sub eodem supremo genere prædicamenti, sed semper sub aliquo subalterno, vt inductione patet in qualitatibus (& idem est de aliis prædicamentis, quatenus in eis potest esse contrarietas) nam qualitates contrariæ vel ambæ sunt in prima specie vel in tertia: habitus enim contrariatur habitui, & actui, & passibili qualitas passibili qualitati. Et ratio non est alia, nisi quia alias non habent conuenientem proportionem vt sese expellant, & inter ea fit per se transmutatio.

Et ex hoc principio vterius procedendum est ad iudicandum, quanta esse debeat hæc conuenientia generica inter contraria: non enim potest vna generalis regula pro omnibus assignari: nam vnum vitium est contrarium alteri vitio; vna autem virtus non potest esse contraria alteri virtuti; cum tamen differentia generica eadem sit, seu proportionalis in vtriusque. Oportet ergo vt tanta sit conuenientia quanta sufficiat ad proportionem requisitam inter contraria & effectus eorum, vt inter se possint directe pugnare. Et hac ratione dicebamus supra, habitum non proprie & directe contrariari actui, sed habitui, & actum actui. Et eadem ratione error magis proprie & directe contrariatur opinioni veræ quam scientiæ, quia error etiam est quædam opinio, & sic de aliis.

Quomodo omnia contraria inter se maxime distent.

SECUNDO dubitari potest de altera particula, quæ requirit maximam distantiam inter contraria: nam hoc non videtur vniuersaliter conuenire omnibus contrariis. Virtus enim propriissime contrariatur vni vitio, & tamen non distat maxime ab illo; magis enim distat ab alio vitio extreme opposito: quia magis distat auaritia à prodigalitate, quàm liberalitas. Item error proprie est contrarius veræ opinioni à qua non summe distat, magis enim distat à scientia. Denique in latitudine colorum, verbi gratia, non solum extremum extremo est contrarium, sed etiam mediis. Vnde confirmatur, nam si vnum contrarium, tantum opponeretur alteri maxime distanti, sequitur, vnum vni tantum contrarium esse, quia extrema alicuius distantie tantum possent esse duo: consequens autem esse falsum adducta exempla ostendere videntur, nam vna virtus extremis vitiis contraria est.

Nihilominus dicendum est ea quæ sunt simpliciter & absolute contraria, quatenus sub eodem genere continentur, debere maxime distare sub illo. Vnde in primis fit intelligendum hoc esse de distantia positiua, nam negatiua vt diximus, maior est inter contradictorie opposita; si tamen illa, distantia dicenda est. Deinde intelligitur de distantia sub eodem genere; nam extra huiusmodi genus constat posse vnum contrarium magis distare ab aliis rebus, quam ab alio contrario. Tandem quod talis distantia debeat esse maxima, intelligi potest secundum positum

Rf 3

tium

VII.

Quod & quale genus debeat esse commune id est traris.

VIII.

IX.

X.

tium excessum; ut videtur esse inter albedinem & nigredinem, sub genere coloris, vel solum negative, nimirum quod nulla sit maior. Et hoc videtur sufficiens. Probabile enim est, quatuor primas qualitates, calorem & frigus, humiditatem & siccitatem convenire in eodem genere proximo sub qualitate passibili, sub quo calor & frigus sufficienter distant ad perfectam contrarietatem, quamvis non magis inter se distent, quam siccitas & humiditas inter se: satis ergo est, quod distent maxime negative. Ratio autem, cur tanta distantia requiratur, est, quia aliqui contraria non se omnino mutuo expellerent, nec transmutatio vnius perfecte terminaretur ad aliud, quod est de ratione perfecte contrariorum, ut ex solutionib. argumentorum magis constabit.

XI.
Virtus & vitium an maxime distent.

Virtus igitur & vitium non continentur sub eodem genere proximo in ratione habitus, & ideo non oportet ut simpliciter summe distent; hoc enim modo recte probat argumentum magis distare inter se vitia extreme contraria. At vero secundum moralem oppositionem, seu in ratione honesti & turpis, summe distant virtus & vitium, vel talis virtus & tale vitium circa talem materiam, & ideo sub ea ratione sunt simpliciter & propriissime contraria. Dico autem summe distare saltem negative, quia fieri potest ut ab eadem virtute duo vitia eque distent, sicut secundum diversas & extremas rationes. Quamquam enim absolute illud vitium quod deterius est, magisque deficiens à recta ratione talis virtutis, simpliciter videatur summe distare ab illa: tamen secundum proportionalem rationem vnumquodque dici potest habere extremam distantiam ab ea rectitudine virtutis quā in illa destruit. Simili modo dicendum est de opinione vera & falsa, seu errore: summe enim distant sub suo genere, scilicet, opinionis, si veram habeant contrarietatem ex parte obiecti. Nam si solum differant quasi relative, non sunt contraria; cum eadem opinio possit esse successively vera & falsa ex mutatione obiecti. Igitur quod error plus distat à scientia contrariae veritatis, quam ab eiusdem opinione, non est contrarietas alterius contrarietatis, quia est distantia in alio genere, in quo scientia & opinio non habent tam propriam contrarietatem. De mediis autem coloribus respectu extremorum (& idem de quocunque medio, quod sit per participationem vtriusque extremi) dicendum est non esse simpliciter & absolute contrarios ipsis extremis: sed tale medium opponitur vni extremo per participationem alterius, & est contrarius. Vnde non omnino illa excludunt, sed in se continent, vel formaliter, vel virtute, ut infra declarabimus. Cum autem dicuntur contraria extreme distare, intelligendum est de contrariis, quæ per sese & omnino contraria sunt ac se expellunt.

Sitne vnum vni tantum contrarium.

XII.

Atque in eisdem contrariis verum habet, vni vnum tantum contrarium esse, ut exponit Aristoteles 10. Metaphysicæ, cap. 6. 8 & 9. ubi ait, hoc habere verum in extreme contrariis, non in mediis. Et ideo non obstat quod malum, & bono & malo opponatur, ut idem Aristoteles dixit cap. de oppositis, nam vni opponitur, ut extremo, alteri ut medio. Vel etiam dicere possumus, tunc vnum contrarium tantum habere aliud contrarium, quando illud est adæquatum, ita ut secundum totam latitudinem eius illi opponatur. At vero quando virtus habet duo vitia extrema sibi contraria, neutrum illi adæquate opponitur, id est, secundum totam latitudinem materię & actus eius: liberalitas enim, verbi gratia, tum ad dandum, tum etiam ad retinendum quando & quomodo recta ratio dicat, inclinatur avaritia vero per se solum illi opponitur, quatenus inclinatur ad dandum: prodigalitas vero est contrarius, quatenus inclinatur ad retinendum. Ex his ergo satis manet exposita illa pars

definitionis contrariorum, quod sub eodem genere maxime distare debeat.

An se mutuo contraria expellant.

Tertio dubitari potest, quomodo etiam verum sit contraria debere se expellere mutuo circa idem subiectum: multa enim contraria esse videntur, quæ non habent hanc vim. Frigus enim non potest expellere calorem ab igne, nec siccitas expellere potest humiditatem ab aqua, nec nigredo albedinem à melle. Et in intellectu error non potest expellere scientiam: cum tamen scientia facile expellat errorem, præsertim si loquamur de actibus, inter quos etiam est propria contrarietas, in habitibus enim interdum accedere potest, ut error expellat scientiam intercedente obliuione, quod est quasi per accidens. Et confirmatur, nam cum vnum contrarium dicitur expellere aliud, vel intelligitur effectiue, & hoc non, quia non omnia contraria habent vim efficiendi, ut patet de albedine & nigredine, voluptate & tristitia, & similibus: vel intelligitur formaliter, & hoc etiam non est vniuersale: nam expulsiō formalis solum est inter ea quæ in eodem subiecto simul esse possunt, & formaliter pugnare: nam si vnum non sit in subiecto, quando aliud ingreditur, iam non est formalis pugna: sed hoc etiam commune non est contrariis omnibus: nā saltem duo actus vitales contrarii nunquam possunt ita pugnare.

In hac particula tres condiciones contrariorum continentur, vna est, quod versentur circa subiectum, quia per se sumpta non possunt inter se habere repugnantiam nisi ordine ad aliquid tertium, quod non potest esse nisi subiectum. Et ideo duo substantia vnde sic non possunt esse sibi contraria, quatenus talia sunt, quia non respiciunt subiectum in quo possunt contrarietatem exercere. Dices, vnum substantia potest agere in aliud ad destructionem eius. Respondeo, solum posse agere aliquid ei inherens: nam si efficiat rotam substantialem ut sic non agat ad destructionem, sed potius ad eius productionem vel conseruationem. Id ergo, quod alteri inheret, potest esse contrarium, non ipsi cui inheret, ut sic, per se loquendo, nam illi potius vnitur, suoque modo illud perficit, sed alteri, quod etiam inherere possit. Dices, vnum corpus est contrarium alteri quantum ad præsentiam & existentiam in eodem loco, quæ contrarietas non sumitur in ordine ad idem subiectum, sed in ordine ad idem spacium imaginariū quod non potest simul duobus corporibus repleti. Respondeo, illam non esse propriam contrarietatem, sed repugnantiam quadam generalius dictā, quæ non oritur ex propria oppositione, cum quantitates illæ & præsentia sint eiusdem speciei & rationis, sed oritur ex peculiari limitatione & conditione quantitatis, quæ natura sua impenetrabilis est cum alia simili quantitate.

Ex eis vero clare colligitur secunda conditio, nimirum, subiectum contrariorum ut sic esse debere vnum & idem, ut supra etiam diximus intelligendo per subiectum genus Phisicum contrariorum, quia ut sibi repugnent, oportet ut versentur circa idem. Dices calorem existentem in igne repugnare frigori existenti in aqua. Respondetur repugnare quali mediate, quia potest immittere in aquā alium calorem expellente frigus: si enim talem virtutem non haberet, illi non repugnaret; immediate ergo contrarietas versatur inter formas circa idem subiectum.

Ex quo licet obiter colligere responsum ad interrogationem superius factam de expulsiōe effectiua aut formali. Dicendum est n. per se ac intrinsece requiri expulsiōem formalem, nam effectiua, neque est semper necessaria, ut argumentum supra factum probat, neque est immediata, ut dixi, nec semper exercetur per qualitatem contrariam, sed per alia priorem vel eminentiorem, ut eadem voluntas efficit actus contrarios. Falsum est autem, expulsiōem formalem

malem requirere simultaneam existentiam vtriusque formæ in eodem subiecto: imo hoc ipsum est contrarietatem expulsiōis formalis, quæ in hoc consistit, vt effectus formalis vnus formæ ex natura rei repugnet in eodẽ subiecto cum effectu formali alterius: si autem formæ sunt simul, quantum ad id non habent effectus formales repugnantes, vnde quantum ad id non habent propriam contrarietatem, vt sect. 4. declarabimus. Vnde, si fortasse, dum ita simul existunt, vna forma operetur aliquid ad destructionem alterius (quod raro vel nunquam contingit, vt postea videbimus) iam illa non est expulsio formalis, sed effectiua; quia non est nisi efficiendo aliquid aliud, quod sit formaliter incompatibile cum præexistente forma, vt si calor & frigus vt quatuor sint simul, non potest ille calor quicquid operari ad destructionem frigoris, nisi operetur ad augmentum sui, quod est formaliter incompatibile cum tanto frigore.

XVII. Tertia conditio in illa particula contenta est, quod hæc expulsio sit mutua. Cuius ratio facilis est ex proxime dictis, nam hæc expulsio non est effectiua, sed formalis, & ideo non attenditur iuxta vim agendi, sed iuxta modum informandi. Ex quo necessario sequitur vt sit reciproca: nam si effectus formalis vnus qualitatis est per se & directe repugnans cum effectu formali oppositæ qualitatis, necesse est vt etiam è cõuerso formalis effectus alterius, alteri repugnet. Cõtra hanc vero conditionem specialiter procedit obiectio supra facta: ad quam breuiter dicendum est, solum oportere hanc expulsionẽ esse mutuã: quantum est ex vi propriorum effectuum formalium talium qualitatum: nihilominus tamen ex parte agentium contingere posse, vt ab aliquo subiecto nõ possit expelli aliquid contrarium, vel propter diminutionem à propria forma, si sit adeo intrinseca, vt impediri nõ possit ab intrinseco agente, vel si sit dispositio ita necessaria, vt illa ablata statim subiectum corruptatur. Et ideo Aristot. cap. de oppositis, cum dixisset contraria sese vicissim expellere, addidit, nisi alterum insit à natura.

Corollaria ex precedenti doctrina.

XVIII. EX hac declaratione definitionis contrariorum colligi facile possunt variae differentiae contrariorum ab aliis oppositis, quæ partim in discursu huius & precedentis sectionis tactæ sunt, partim sumuntur ex Aristotele in cap. de oppositis. Ex quibus tres hoc loco breuiter notandæ & declarandæ sunt. Prima est proprie inter contraria & relativa. Nam in relatione vnus oppositorum insit existentiam alterius, non vero in contrariis: non enim, si vnus est (ait Aristoteles) aliud necessario erit: quod etiam dici potest de priuatiue aut negatiue oppositis: tamen quia in illis alterum extremum nihil est, ad contraria specialiter accommodatur. Videtur tamen huic doctrinæ repugnare idem Aristoteles 2. de celo text. 18. dicens: Si vnus contrariorum sit in rerum natura, aliud etiam esse debet. Respondetur, proprium sensum illius differentie esse vnum relativorum ex propria & intrinseca ratione, inferre existentiam alterius sibi oppositi, quatenus eius esse consistit in respectu ad illud: vnus vero contrariorum non ita inferre aliud ex sua particulari natura sed potius, quantum est ex se, destruere illud. Nihilominus tamen verum esse potest, quod alio loco Aristoteles intendit, scilicet, in ordine tamen ad complementum vniuersi necessarium fuisse, vt existente vno contrariorum, existeret etiam aliud, tum propter rerum varietatem, ex qua pulchritudo vniuersi consurgit, tum etiam propter vicissitudinem corruptionum & generationum, qua vniuersum conseruatur: tum denique quia eadem est potentia contrariorum, quæ in diuersis saltem subiectis petit in actum reuocari.

XIX. Secunda differentia maxime versatur inter contraria & contradictorie opposita, quæ suo modo ex-

tendi potest etiam ad opposita priuatiue. Nam inter contraria quedam sunt immediata, alia, quæ medium habent: contradictoria vero semper carent medio. Circa quam differentiam est aduertendum triplex medium excogitari posse inter opposita. Primum dici potest ex extremis, quod proprie dicitur esse per participationem extremorum, quia ex illis refractis, vel virtute vel formaliter constat, vt sect. 4. declarabimus. Secundum dici potest medium inter extrema, vt est virtus inter vitia, quod cum præcedente conuenit, quia est aliqua forma positiua: differt tamen, quia non componitur ex extremis, quauis materialiter in aliquo cum vtroque conueniat, vt explicui supra lib. 10. Metaph. cap. 10. Tertium medium dici potest abique extremis, id est, per solam abnegationem extremorum. Quedam ergo contraria sunt immediata quantum ad positium medium, vt amor & odium; alia vero carere etiam solent medio per abnegationem extremorum respectu ad æquati subiecta, in quo inueniri possunt, vt Aristoteles docet in c. de Opposis: qui tamen exempla adhibet in quibusdam, quæ non sunt proprie contraria, vt sunt par & impar, sanum & ægrum. At vero inter contradictoria nullum medium ex his locum habet, vt per se constat, & latius dicemus infra disput. 54. sect. 5. Inter priuatiue autem opposita non potest dari medium positium, vt per se constat, quia nihil potest coalescere ex affirmatione & negatione, quam includit priuatio: neque etiam cogitari potest forma positiua inter negationem & habitum positium cui opponitur. Et in hoc differt priuatiua oppositiõ contraria absolute sumpta. At vero medium per abnegationem reperiri potest aliquo modo inter priuatiue opposita, in quo differunt à contradictoriis, vt latius declarabimus dicta disput. 54. Conueniunt autem cum contrariis, licet in hoc habeant aliquam diuersitatem, nam contraria habere possunt hoc medium, etiam in subiecto capaci: carere enim potest voluntas & virtute & vitio: priuatiue autem opposita solum possunt habere hoc medium in subiecto extraneo & incapaci, nam si subiectum sit aptum, necesse est vt vel habeat formam, vel illa careat, quod si careat, priuatum erit cum aptum iam supponatur. Et huius ratio à priori est, quia ceteris paribus immediatior, formalior ac maior est oppositiõ priuatorum, quæ in negatione consistit, quam contrariorum, quæ positiua est. Vnde etiam obiter intelligi potest, quod licet duæ formæ sint contraria, priuationes earum nullam inter se habent oppositionem: ideoque possunt esse simul in eodem subiecto capaci, vt ostensum est.

Tertia differentia assignatur inter contraria, & priuatiue opposita, scilicet, quod inter contraria est mutua transmutatio & vicissitudo circa idem susceptiuum, scilicet, quantum est ex parte eorum, vt in definitione explicatum est: inter priuatiue autem opposita non est ita, quia à negatione ad habitum non est regressus. Quæ differentia etiam, inter priuationem & negationem assignari solet, & ideo latius à nobis explicabitur dicta disput. 54.

XX.

Differentia
inter opposi-
ta contraria
& priuati-
ua.

SECTIO III.

Verum propria contrarietas in omnibus & solis
qualitatibus inueniatur.



In hac sectione declarandum est, quomodo hæc oppositiõ tribuatur qualitati, vt proprietati eius, an, scilicet, in omni rigore, vt propriū dici solet, quod conuenit omni & soli, ac semper. Quamquam de hac vltima conditione nulla in præsentia sit quaestio, nam si qualitas habet contrarium, ex natura sua illud habet, & hoc sensu dicitur semper illud habere, siue illud existat, siue non, de quo etiam iam

I.

Rr 4

dixi-